

cupro confectum ostenduntur, & illorum effectus in ligno accendendo, plumbo vel stanno lique-faciendo ostenditur.

5. Pole moscopium, quod tempore belli maxime inservit, vel etiam, quo aliquis in domo sua constitutus actiones hominum in plateis evenientes commode observare potest.

6. Camera catoptrica curioso spectaculo producitur ex speculis parallelis constans, ubi observatur, quod insigni modo multiplicentur subjecta & augeantur objecta in medio posita.

DEMONSTRATIO XXXVI.

Radii luminosi in diaphanis convexis refringuntur, majoresque angulos efficiunt, & in uno puncto, ceu foco concentrantur, ubi rursus radiorum fit divaricatio.

*Experimenta.*

1. Hic modus microscopia conficiendi ex uno, duobus, vel tribus vitris convexis ostenditur, varia curiosa simul ipsis subjicendo.

2. Tuborum optidorum elaboratio ex duobus vel pluribus vitris exponitur, & simul modus monstratur, qua ratione mirum in modum multiplicari queant objecta.

3. Tubo 12. pedum annulus Saturni, satellites Jovis nocte serenâ optime sistuntur oculis.

4. Camera obscura portatilis, quæ duos pedes longa est, & qua imagines rectæ sistuntur, jucunda exhibet spectacula.

5. Camera obscura exhibetur sub variis vitris convexis, sub majori vel minori distantia. Hinc vitro convexo, quod focum habet 10. pedum, in papyraceo pariete sistuntur objecta magnitudinis satis eximia. 6. De-